

*christiana & philosophica*, itemque D. Joh. Musæi disquisitionem: *An ductu luminis naturæ, sive principiorum rationis, homo ad salutem æternam possit pertingere*, nec non D. Gerhardi Titii disputat: *de Insufficiencia religionis mere naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem.*

## § XV.

*Seneca philosophus in multis Stoicus est.*

Missa vita & religione ad Sectam, cui addictus fuit Seneca philosophus, nos convertimus, colligimusque ex *Epistola CVIII.* fuisse eum initio Pythagoreum. *Non pudebit, inquit l. c. fateri, quem mihi amorem Pythagoræ injecerit Sotion &c.* sed postea castra illa deseruit, factusque in multis Stoicus. Placet adducere, quæ Joannes Jonsius *de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ Lib. III. Cap. XX. p. 311. 312.* hanc in rem doctè commentatur, ita scribens: Fuit Seneca Philosophus non quidem Epicureus, ut censet Scaliger ad Senecæ Agamemnonis versum DC. quanquam dixit *Epicurus noster Epist. CVII.* neque Cynicus, licet de Demetrio Cynico dicat, *Demetrius noster Lib. VII. de Beneficiis Cap. II.* sed maximam partem Stoicus. Hinc *Stoici nostri* ait Seneca in lib. de Constantia Sapientis, seu quod in Sapientem non cadit injuria cap. II. & simpliciter *Nostri Epist. CXVII. Chrysippus noster Lib. II. de Benefic. Cap. XVII. Cleanthes noster Epist. CVII. Posidonius noster Epist. CXIII. Conf. Epist. XXXIII. LXXXIII. CIV.* & Lipsii *Manuductionem ad Philosophiam Stoicam.* Nonnunquam tamen a Stoicis dissentit, vid. *Epist. XCIV. Acerrimus Stoicus* vocatur Lactantio *Divin. Instit.*